



Universitätsbibliothek Paderborn

**Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi
Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

38 Matrimonia, quomodo sint contrahenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Trideatin. canon. 1. de sacr. matrimon.
seff 25.

³⁴ Matrimonium † aliud legitimum, &
non ratum : aliud ratum, & non legit-
imum: & aliud legitimum, & ratum. Legi-
timum, ac ratum est, quod legitimo con-
senstu in facie S. Matris Ecclesiae contrahi-
tur servata forma concilij Trident. c. 1. de
reform. matrim. seff 24. & c. fin. qu. 1. Ma-

trimonium legitimum, & non ratum est;
illud, quod inter infideles legali institu-
tione, vel Provinciæ moribus contrahitur, in-
ter quos non est ratum, quia non est fir-
mum sed est violabile, quia dato libello re-
pudij licet eis ab invicem recedere, & alijs
copulari, lege fori, & non lege poli, quam
non sequuntur, dicto c. fin. vers. legitimum.
Ratum, & non legitimum est illorum fi-
delium, qui contemptis omnibus solemn-
itatibus, solo affectu aliquam sibi in conju-
gem copulant, ut in eod. c. fin. in fin. quod
est probatum, atque concubinatus potius,
quam matrimonium dicendum, ita quod
filii, qui ab eis nascuntur, non sint legitimis
quia inter catholicos nullum extat matri-
monium, solenitatis non servatis, concil.
Trid. c. 1. §. qui aliter, de reform. matr.
seff. 24. & consummatum est quodlibet
matrimonium carnali copula subsecuta,
c. super eod. de cond. apposet.

³⁵ Rata verò, & non legitima sunt etiam
matrimonia clandestina, à sacro concilio
prohibita, ut dicto cap. 1. de reform. matr.
clandestine verò contrahentes carnali co-
pula subsecuta, non possunt cogi ad i vi-
cem matrimonium solemnizandum, ser-
vata forma concilij. Si verò sponsalia per
verba de futuro, cum juramento con-
traxerint, tunc servandum est jus com-
mune, ut in decis. super eod. cap. 1. §. qui con-

traxerunt. Matrimonia enim hujusmodi
clandestina à concilio prohibentur, non
autem promissiones, quæ matrimonia
præcedere solent, sed factæ sicut ante con-
cilium suæ servandæ, cum sponsalia † de
futuro à concilio fuerint intacta, & re-
manserint in dispositione juris communis,
ut super eod. cap. 1. suis decisum, in decis. sub
tit. Burgenst.

An autem matrimonia † clandestina
inter puberem, & impuberem, in sponsalia
de futuro resolvantur, ex dispositione, c. 1.
de despensat. impub. lib. 6. Sacra congreg.
conc. censuit, hæc matrimonia resolvit in
sponsalia de futuro, ut in decis. super a.
cap. 1. sub tit. Valent. & alia. sub nu. 396.
proles vero suscepta in matrimoniis clan-
destinis, nisi servata forma concilij ma-
trimonia convalidentur, erit illegitima,
ut ibid. super eod. suis decisum, in §. quid de
prole.

³⁸ Matrimonia contrahenda, † in ecclesiis
Parochialibus, sub quibus contrahentes
commorantur, tribus festivis diebus, inter
Missarum solemnia, tribus distinctis vici-
bus, à propriis contrahentium Parochis
publicè debent denunciari, ut infra illius
terminum, si aliquod legitimum obsteret
impedimentum possit propalari, ita quod
impedimento detecto, nec ad copulam,
nec ad ulteriora procedatur, & si nullum
legitimum opponatur impedimentum, ad
celebrationem matrimonij in facie Eccle-
siæ devenitur ubi parochus, & viro, &
muliere interrogatis, & eorum mutuo
concessu per verba, vis, volo, intellecto, di-
cat, ego vos in matrimonium conjungo in
nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, c.
si inter de sponsal. c. cum inhibitio de land.
despons. & concil. Trident. cap. 1. de refor-

matr. sif 2.4. Aliter autem quam parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus praesentibus matrimonium contrahere⁴¹ attentantibus, ad contrahendum omnino inhabiles redduntur, contractusque sunt irriti, & nulli, *ut in dicto cap. §. qui aliter.*

39. Verba enim prefatae sunt intelligenda etiam de parocho adhuc ad sacerdotium non promoto, nempe, quia adhuc non fuerit elapsus annus, qui conceditur sibi a jure ad faciendum se ad illud promoveri: *juxta cap. licet, de elect. in 6.* prout in dicta congregatione fuit resolutum, & Clemens VIII. approbavit, *ut ibidem super eodem cap. 1. fuit decisum in §. qui aliter.* Neque pertinet ad substantiam matrimonij, ut patochus aliqua verba proferat; ideoque valet matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum prolata sint tantum a contrahentibus, dummodo parochus adhibitus a contrahentibus sit praesens, & intelligat id, quod agitur, licet dissentiat, & contradicat: nam praesentia parochi sufficiat ab illoque ipsius parochi verbis: *dicta congreg. ibidem super eod cap. non pertinet, & §. Provincia ritum.* ideoque parochus est necessarius in celebratione matrimonij, ut licet denunciations fuerint factae, ac secuta copula, nihilominus matrimonium non tenet, si praesens non fuerit. Quod si contrahentes sint diversarum parochiarum, sufficit, ut sit parochus, sive viri, sive mulieris, *ut ibidem super eodem cap. 1. sub titulo Civitatis Castelli, & Brundusini.*

50. Contrahentes tamen non praesente parocho, sed solis testibus, sunt graviter puniendi, & proles exinde suscepta illegitima est, nisi

denuo legitimè contraxerint, *ut in declar. ibid. sub tit. Tergest. Aquilan. & Viterbieni.* Contractum tamen etiam cum praesentia parochi, & testium matrimonium ab impuberibus, etiam servata hac forma, non valet, hac nempe ratione, quia, cum essent impuberis, licet servaverint formam hic prescriptam, nihilominus matrimonium non tenuit, cum essent incapaces, & facti postea puberes tenebuntur iterum hanc formam servare, *ut ibidem super eo. c. 1. in declarat sub titulo Meliten.* & §. matrimonium contractum.

Matrimonium autem, sine proprio parocho tamen contractum adeo est irritum, ut sustineri non possit, concil. Tridentino cap. 1. §. qui aliter. & decretum irritans ibi appositum annullat illud ipso jure, c. si eo tempore, de elect. in 6. cum aliis supra allegatis.

Neque tamen tenet matrimonium contractum coram clero deputato a parocho, *ut tit. Venetiarum idem super eod. cap. 1.* est tamen validum illud matrimonium, quod celebratum fuit ab alio de consensu Episcopi tamquam a proprio parocho, etiam quod Episcopus crederet, esse vocatum proprium Parochum, *ut ibidem sub tit. Amerin.* item, & de consensu vicarij, *ut ibidem super dicto cap. 1. sub tit. Cremonen.* & §. seu ordinarij, quemadmodum tamen valet contractum coram presbytero, quise parochum putabat ex causa vicinitatis, aut alia verisimili, etiam si non fuerint factae denunciations in propria parochia, *ut tit. Patavin.* & contractum coram coadjutore, seu sacerdote deputato a coadjutore Vicarij constitutj, ab eo, qui habet curam animarum, *ut ibidem sub tit. Dromoren.* & §. vicarij etiam, & §. matrimonium